

05

A

407







Auspicio Sacrosanctæ Triadis

DISPUTATIO

De

FOR TUNA ET CASU.

Quam

P R Æ S I D E

M. IOACHIMO FLEISSERO

Uratislaviense, Collegij Philosophici

Adjuncto,

In Academia VVittebergensi publica

discussioni subicit

MARTINUS NEBIUS

Nidburg, Borussus.

Ad 11. Augusti in Auditorio Philosophico

horis à 6. matutinis.



VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni,

ANNO M. DC. X.



V I R O

*Clarissimo, Excellentissimoq³, Pietatis zelo,
vitæ integritate, judicij ingenijq³, sublimitate
præstantissimo*

Dn. IOHANNI P A P I O;

PHILOSOPH. AC MEDICINAE DOCTORI;

**Illustrissimi Borussiae Principis Regio-in-Monte Medi-
co supremo Aulico; & in amœnissimo ibid. Musarum Ly-
ceo, Physicæ ac Medicinæ Professore publico, Patrono pa-
terno, ac Præceptori suo æternùm venerando,**

V I R I S q³;

*Spectatâ integritate, pietate, doctrinâ & politica
prudencia conspicuis,*

DN. RUFFO CHRYSOSTOMI BUTNERO,

05 A 407

**Inclyto Senatu celeberrimæ Reip. Uratislaviensis à Se-
cretioribus Epistolis solertissimo, doctissimo; Patriotæ &
concivi lectissimo; Fautori suo propensissimo,
plurimùmq³ honorando,**

DN. JOHANNI A M - E N D T, Illustrissimo

**Electori Brand. in amplissimo & lectissimo I N S U L Æ - M A R I Æ
B O R U S S I A C Æ Districtu, à Rationibus spectatissimo
fidelissimoq³; Fautori ac Sympatriotæ suo
benevolentissimo.**

DN. CHRISTOPHORO MARXIO, Eidem

**Illustrissimo Elect. Brand. Malgæ in Borussia, Piscosissimorum
Stagnorum, Lacuumq³; amplissimorum à Rationibus vigi-
lantissimo; Benefactori suo benignissimo, Fautori,
amico & concivi mei studiosissimo;**


Hoc quicquid est studij

Honoris & gratitudinis ergo,

nuncupat & offert

M. N. Autor & Resp.





THESIS I.



E Natura nuper disputavimus, cujus vim & operationem ob finem agere (*precedens enim folium sequitur semen, & semen flos florem acinum, acinum variatio in tenellis uvis, hanc denique succus seu vinum, Mag. p. 46. ex Aristot. 2. Phys. 3.*) atq; ut plurimum eundem finem, quem intendit, nisi impediatur per accidens ab externa causa, assequi suum; conclusimus.

2. Phy. 8.
Natura interna. Fortuna externa causa est.

II. Postquam autem Aristoteles causas per se, edisseruit; addit etiam causam per accidens; Fortunam & Casum: sic enim initio c. 4; *Fortuna & Casus de numero causarum esse dicuntur: nam multa sunt & fiunt ob Fortunam & Casum.*

III. Tractantur autem in Physicis causæ prout res naturales attingunt & promovendo producunt, ordinemque habent ad motum.

In Procem.

Col. con.

Perer. d. N.

IV. Sunt autem Fortuna & Casus de numero causarum, d. l. Esseq; causas patet 1. quia eistribuitur effectus. 2. quia causa est, à qua fit aliquid. At multa ab his fiunt Arist. 2. Ph. 4. Rectè igitur hic de his agitur. Pendet enim causa per accidens à causa per se, 2. Ph. 6. Ergò ubi causa per se locum habet, habet ibi & causa per accidens.

Arist. l. 9. c. 1.

2. Ph. 4.

Havr. ib.

V. Diximus verò superiore de Natura *συνήθησει*, Fortunæ aut Casui ascribi ea, quæ fiunt, aut præter nostrum aut Naturæ institutum. Est ergò consequens pro receptione factâ, PRÆSIDÈ & Directore Fortunæ, hanc in brevem vocare disquisitionem.

Col. con.

2. Ph. 4.

VI. Cùm verò *αἴτιον κατὰ συμβεβηκός* sit *ἀόριστον* Arist. 2. Ph. 5. Fortuna autem & Casus sit indefinita causa & homini immanifesta; Quare ob rei obscuritatem, his 2. demonstrando utemur cretiris; AN SIT: QUID SIT; quod erit Status nostri primum Membr. sc. Definitio Fortunæ. 2. Casus & Fortunæ convenientia & differentia. 3. Christiana de his sententia;

Tripartitus

Status.

A 2

7. Esse

1. An fr.
Pere. 6, 2.

VII. Esse autem Fortunam & Casum seu contingens, probatur tripliciter: λόγῳ, ἐμπειρίᾳ, καὶ ἀτόπῳ. 1. *Ratione.* Sunt enim fortuita ea, quæ obveniunt præter intentionem agentis, qualia multa homini accidunt. Quis enim ea prævidet, quæ accidunt? Sap. 9. *Mortalium cogitationes timide, & incerta providentia nostræ.* Nonne etiam prudens & exercitatus cogitur illud crebro ingeminare: *Non putaram?* Cæterum ut res ad esse, ita ad definitionem, ad demonstrationem. At Fortunæ & Casui est sua demonstratio: *Effectus enim illis tribuitur, qui de ea, ceu de causa predicatur.* Est etiam definitio. Ergo sint, oportet.

VIII. 2. *Experientiâ.* Experimur & videmus ante nos fortuito multa accidere & incidere, ut demonstratione nil sit opus. Cum vulgo & sententia communi hominum, qui quasi à natura edocti hanc loquuntur, docti etiam de Fortuna pariter sic sentiunt, nomenq; & vim ejus crebris usurpant sermonibus.

IX. 3. *Absurdo.* Stultum sanè foret, de eo sudare, quod non est; & declarare ac declamare, quid sit, cum non sit. At per tot secula tot summi, ijq; saniores, Philosophi multa de ea disseruerunt usque adhuc.

X. Accusat hinc Arist. veteres remissionis, qui sensu fortuita senserint, eaq; confessi fuerint, sæpeq; nomen usurparint; nil tamen de Fortuna & Casu literis posteritati consignarint.

XI. Cespitarunt autem Antiqui in hoc: Non fortuito ea fieri, quæ certam habent ac determinatam causam; quando effectus fortuitus non jungatur effectis per se intentis, v. g. *Inventio thesauri fossioni agri; prodeuntiq; in forum ad emendum obsonium occurrat forte fortuito debitor, à quo pecuniam accipit: hujus fortunæ causa certa est in forum progressio. Si enim domi mansisset, es non accepisset.*

XII. Quid ad hæc Aristoteles? Resp. ex communi consensu omnium, concedendo, fieri ab aliqua causa, quæ fiunt à Fortuna & Casu; & effectum ad certam causam posse referri: Omnes tamen docti juxta & indocti quædam fortuito, quædam non fortuito fieri, ab illa certa causa, testantur. Ergo est.

XIII. At obstat veterum autoritas, quos elevare, arrogantia est, à quibus relinquitur dogma, qui non adeò fascinati erant, ut proprio sensui quippiam non crediderint. Jam si esset Fortuna, de

Coll. Con.
2. Pb. 4.

de ea differuissent, qui tamen reliquas causas ortus & interitus, omisâ fortunâ, explicârunt.

XIV. Resp. Arist. Non ideò Fortuna; quia nil de ea scripserint veteres, extrerminanda; non ob id illi excusabiles; si putassent esse Fortunâ, eam reliquis causis addidissent; si non putarunt, vituperandi, quòd non refutarint, eam esse, negando; nec cur nil sit fiatq; fortiutò, judicarint. Quod si putarunt, esse Fortunam, nil autem de hac præceperunt, rursus ob mancam doctrinam reprehendendi.

XV. Præter has veterum, plures Pererius ἐνστάσεις (còtra Fort.) ex Alb. 2. Phy. 10. adversus hujus socios movet; I. Quicquid non fit ab aliqua causa, id fieri dicitur à Fortuna. Sed nil fit sine causa. E. nec à Fortuna, & sic non est. Resp. *Effectus quæ talis, efficiente necessario eget, non materia. Fortuitus dicitur à causa per accidens præter ejus intentionem eveniens.*

XVI. Fortuitus effectus (thesauri inventio) est per se ens definitum. E. per se causam habet, id est, veram, definitam, non fortuitam. Res. *inventus thesaurus, ut est ens, est jam per se & determinatum ens; sed quæ. inventus est sodiando, est quiddam indeterminatum & per accidens, respectu causalitatis & intentionis ejus, qui sulcavit agrum. Non is semper invenit aurum, cujus inventio infinitas habet causas. At Effectui respondet propria causa. Ergo fortuitus effectus talem habet, hoc est, propriam. Resp. talis est causa, qualis effectus, illa infinita; Ergo & hic.*

XVII. Omne Ens per accidens reducitur ad Ens per se; sic causa accidentalis ad causam per se. E. quod fit à causa per accidens; quæ dicitur Fortuna; idem fiet à causa per se, & sic non fiet simpliciter à Fortuna. Resp. 1. Reducitur Fortunæ eventus ad causam per se & primam, id est, Deum, à quo cognoscitur & intenditur effectivè & permissivè. 2. Ad causam per se, non respectu effectus fortuiti; sed alius, per se aliàs intenti, quem est fortuitus effectus insecutus. *Cùm enim causa certa suum nequeat producere effectum; quasi deficiens & aberrans fert alium, qui dicitur à casu, ceu natura à sua nativa perfectione exorbitans, offert monstrum & imperfectum quid. Fossor per se intendit scrobem; emicans autem inopinatò aurum sibi imminet præter cogitationem. Sic respectu alterius, & quidem proprii effectus, causa per se, fit causa per accidens fortuiti effectus.* A 3 18. Omnis

I.

II.

III.

IV.

XVIII. Omnis actio est finita, & respicit finitum seu finem aliquē, ad quē agendo tendit. At nulla fortuita actio fit ob finem aliquē. E. actio nulla est fortuita. Resp. Actio habet finē, qui duplex, intentivus, executivus. Ille, ob quem agit agens: hic secus. Actio fortuita habet finem, i. e. terminum, sed non ab agente intentum. Aristoteli finis naturalis est terminus motus continui, non impediti.

V.

XIX. At Esse Rei (sit hoc vel per accidens vel per se) non depēdet à nostra opinione vel intentione, quę nil ad esse ipsius effectus cōfert, ut sit effectus vel per se, vel per accidens. E. ut rei esse non pendet ex opinione hominum; ita nec ratio effecti ex eorum intentione. Resp. Intentio quidem nostra non mutat esse rei: variat tamen rationem ejus, prout est effectus, veniens ex hominis consilio & voluntate.

VI.

XX. Agentia inferiora gubernantur à cælo, quod est determinatū; si jam determinatē & necessariō agit, non patietur fieri aliquid fortuitō in inferioribus. Resp. Per se res non pendet ex eo, in quibus Fortuna versatur, licet ex cæli motu & causalitate pendeant res, quę luna complexu coercentur 2. Cælum quidem necessario movet, sed ejus actio hinc non necessariō recipitur, sed contingenter ob infinitam materię potentiam & cōgruā & cōgruā: quę corruptibilia, sunt impedimentis ob noxia. Quod jam in aliquo recipitur, sit non secundū modū agens, sed patientis & recipientis. Agens, necessariū est; Patientis si sit contingens, actio contingenter recipietur. Licet a hoc vulgatum sit Responsum: habet tamen magnā difficultatem. Est valde, ait Per. obscurū, an in rebus sublunarib. esse possit ullus effectus naturalis qui dici possit à casu respectu corporū cælestiū.

VII.

XXI. Quod autem Ethnici Fortunam occultum numen, Deum & Deam statuerunt, factum hoc, cū ob superstitiones, quibus implicabantur; tūm ignoratiōem causę latentium & inopinatorū eventorum. Unde Cic. rerum (ait) ignoratio atq; causarum, Fortune nomen induxit tam apud Philosophos quā Poetas.

Peter.

XXII. Aristoteles perveteris opinionis; Fortunam numen occultum & divinum fuisse, memor, sic ait: Sunt quidam, quibus Fortuna videtur esse causa quedam immanis, ista ac intellectui humano tanquam divinum quoddam existens & felicitus Simplicius hæc sic dilucidat: Nonnulli Fortunam & esse & causam esse dicunt: quid sit autem dicere nequeunt, cum eam humane menti ignotam existiment, ut quę sit res quędam divina, ob idq; humanam exuperet cognitionem, ut Stoici dicunt. Fuisse autem (ait) hanc opinionē etiam ante Aristotelē, apud Græcos, non primos fuisse. Stoicos in hac sententiā: Plato enim refert. Deus omnia cumq; eo Fortuna & occasio, universas res humanas gubernat. 23. Philoso.

in Legibus.

XXIII. Philosophus Cebes, alijq; veteres Fortunã cæcã fin- Col. Con. Pi-
xere, similem furenti, volubili saxo pendentem. Passibus ambiguis Ætura Fortu-
Fortuna volubilis errat, Et manet in nullo certa tenaxq; loco. Albertus na.
autor est: simulacrum fuisse in Rota, ob volubilitatem; cecum, ob impruden- Ovid. 2. Phys.
tiam; una parte album, altera nigrum, ob eufortunium & infortunium, quæ
sunt partes fortune.

XXIV. Quo quidem significarunt, eam nil ratione, omnia
temerè cæcoq; impetu administrare, humanã rerum aleam sus- Ovid. 2. de
que deq; vertere. Esse iniquam vexatricem, malis propitiam, bo- consol. Phil.
nis adversam, vagam ac versatilem, inq; sola levitate constan- Prof. 2.
tem. Et tanquam constans in levitate sua est. Boët: hunc, ait, continuum
lulum ludimus; rotam volubili orbe versamus; infima summis, summa infi-
mis; immutare gaudemus. Et notus est vers: Lusus fortune variatur
imagine Lune, Crescit decrescit, constans consistere nescit.

XXV. Post Platonẽ a. & Aristotelem hoc fuisse constitutum
idolum refert Simplicius: nec n. (inquit) habemus apud veteres
fortunarũ Templã in historijs narrata, vel dies festos descriptos.

XXVI. Quia verò Servius Tullus, ex servo ab ea in regnum Livius. Plut. in
esset evectus sua gentili præsumptione; prospiciens eam occa- probl. Perer.
sionibus rerum plurimum habere in utramq; partem momenti,
omniq; in re hanc dominari; ideò hic dicitur hujus idoli esse au-
tor & instaurator; tantumq; Romani fortune tribuebant, ut multa tem-
pla & simulacra erexerint varijs nominibus consecrata. Fuit enim ædes
Fortunę malę, fortis, blãdę, dubię, benesperantis, deniq; barbate
& muliebris. Prob-superi, quantum mortalia pectora cæca Noctis habent!

XXVII. Hanc ridiculam & absurdam idolomaniam, coar-
guit sanior Mens tam profana quàm Christiana. Augustinus Col. Con.
præter alios sic infir: Quomodo bona est Fortuna, quæ sine ullo iudicio 4. l. de civit.
venit, & ad bonos & ad malos? Ut quid autem colitur, quæ ita cæca est, ut Dei. 18.
suos cultores plerumq; prætereat, suisq; contemptoribus adhæreat? Lactant. l. 3.

XXVIII. Cæcitatem verò hujus ipse gentilis ridet Aristoteles cap. 18. 19.
sic: Cur divitiæ magna ex parte ab hominibus pravis potius quàm à bonis Sect. 29.
habentur? An quia Fortuna cæca est, ac discernere & seligere non potest, quod probl. 8.
melius aut deterius est. Cui Cic. sic astipulatur, Non solum ipsa Fortuna
cæca est sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos amplexa est. Id quod
Belisario summo Duci factum, qui excæcatus mendicare tan-
dem coactus fuit. Infant-

XXIX. Infaniam hanc eludens tertius Ethnicus Plin. Invenit, inquit, sibi ipsa Mortalitas numen, quò minus etiam plana esset de Deo conjectatio. Toto quippe mundo, & locis omnibus omnibusq; horis, omniumque vocibus Fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, agitur, una cogitatur, sola laudatur, arguitur, & cum convitijs colitur. Volubilis autem, cetera etiam plerumq; existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum faulrix. Huic omnia expensa, omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, sola utramq; paginam facit, adeoq; sumus obnoxij sortis, ut fors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus. Immanem hunc & plenum amentiae fortunae cultum scitè ridet Poeta:

*Nullum numen abest, si sit prudentia, sed nos
Te Fortuna Deam facimus caloq; locamus.*

XXX. Haec tenus AN SIT. Sequitur QUID SIT. Dicitur κατ' ἐτυμον, contingens fortuitum, cum dicimus: Fortè fortuna aliquid accidere, benè vel malè fortè fortuito contingere. Dicitur gentiliter eventus, & casus. Aliàs notat miseriam, aliàs rerum affluentiam, felicitatem, opes. Nos hic contingentiam notamus.

Quid sit.
XXXI. Estq; Fortuna causa per accidens & indefinita eorum, qua per electionem alicujus gratia, sed tamen praeter rationem & institutum, neq; semper neq; ut plurimum fiunt.

2. Ph. 5.
XXXII. Quae per se causa est, definita est; quae per accidens indefinita. Uni enim infinita accidere possunt; Fossioni vipera, thesaurus &c. Col. Con. ut si in agrum egrediar arandi causa, & fodiendo thesaurum inveniam. Non fuit hic meus scopus, thesauri sc. inventio: sed agri, ad percipiendum semen, praeparatio. Dicor autem eò fortunatè venisse: Estq; ita comparatus finis ejus, ut cadat in electionem: Nam si scivissem me thesaurum reperturum, hujus etiam rei gratia exivissem. Sed cum non Fortunae ascriberetur soli inventio: quapropter circa idem mens seu electio & Fortuna versantur; Electio enim non est absq; mente.

XXXIII. Indefinitas item causas esse necesse est, à quibus id fit, quod proficiscitur à Fortuna. Unde haec indefinita causa apparet & homini abdita, atque sic aliquo modo à Fort. nihil videtur proficisci. Aliqua, dico, ex parte fit aliquid à Fortuna. (fit enim per accidens, atq; ut accidat, causa Fortuna est) absolute autem nihil, sicut aedificator causa est per se domus, per accid. Muscus.

34. Praeter

XXXIV. *Præter rationem rectè fieri dicitur Fortuna, cum ratio eorum sit, quæ sunt semper aut plerunque. At Fortuna in ijs est, Col. Con. quæ neutro modo fiunt. Nulla apparet ratio in ijs, quæ rarò eveniunt. 2. Phys. 2.*

XXXV. *Magiro, fortuna causa est occulta eorum eventuum; qui præter opinionem & expectationem nostram accidunt; Vt Thymon apud Lucian. dum foderet agrum, invenit thesaurum.*

XXXVI. *Aristoteles pro sua ἀρχαῖα præmittit collectionem distinctionis rerum ad futuram definitionem.*

XXXVII. *Quæ fiunt, (inquit) eorum I. quædam eodem modo & per se fiunt. Vt Solis ortum sequitur dies. Vel plerunq; , ut, dies æstivi calidiores hybernis. Vel rarò, ut thesauri repertio; Hæc à fortuna & Casu. Cumq; dicimus fieri à fortuna, quod rarò evenit, esse causam aliquam, patet.*

XXXVIII. *II. Quæ fiunt, fiunt I. finis alicujus gratia, 2. vel sine hoc, ut cogitabundus fricans dentes. III. Quædam fiunt I. vel certo instituto, ut opera humana, in quibus agens cognoscit finem, ob quem sibi propositum agit. 2. Vel non certo consilio, ut quæ à bestijs fiunt, omnesq; naturales actiones, nutritio, accretio.*

XXXIX. *IV. Res fiunt vel per se, vel per accidens. Illa causa definita, ad quam sequitur effectus sine ministerio alterius. Hæc incerta, cui effectus per accidens & secundum aliquid tribuitur.*

XL. *Ex his conquirenda, fabricandaq; descriptio. I. Quod fortuna & Casus causæ sint eorum, quæ rarò fiunt. 2. Ob finem. 3. Quod sint causæ per accidens.*

XLI. *Exempli gratia. I. Exiens quispiam in forum emendi gratia, sibi que insperatus creditor offerat ei debitum; esset fortuna. Rarò fit, ut exiens ob aliud, accipiat solutionem. Si crebra esset, non esset fortuna. II. & cum hæc sit incerta causa, non ea diceretur, si quis eò exiret, ut acciperet pecuniam. Est enim Fortuna extra electionem, quæ definita. III. Actio est certo consilio facta: non enim debitorem querere; sed aliquid emere exiit. IV. Est causa per accidens. Accidit ei, ut acciperet pecuniam aliud agendo. Et quamvis receptio aris à debitore sit tale quid, ob quod exitus è domo potuisset fieri, si quis præscisset, id ita fore; sed quia factum nunc non est, fortuna causa per accidens dicitur.*

XLII. *Perer. definitionem Aristotelis fortunæ 5. particulis ex-*

B

a. Phys. 6.

pedit. I. *Causa*, quæ ita vulgò non dicitur, sed fortuitus eventus, quòd sequens Boëtius sic fortunam sub casu definit: *Casus est inopinatus aliquis ex fluentibus causis, in ijs, quæ ob aliquid geruntur, eventus.* Aristoteles fortunam ad genus causæ efficientis refert, non ad materiam & formam, quæ sunt partes essentialis effectus ei adjunctæ necessariò: *Non est v. gr. thesaurus pars de fossore essentialis, nec cum eo conjuncta necessariò.*

XLIII. *Causa per accidens*: *Non quidem ut architectus simul pugil est, sed ut causa extra accedens causæ per se intentæ ad aliud.* Effectus jungitur causæ necessariò, frequenter, rarò, quod ultimum fortunæ est. *Esse causam per accidens, probat oppositum: Causa per se finita scitur, estque eodem modo ut plurimum ad finem suum, quòd à fortuna alienum.*

XLIV. *Ob aliquem finem.* Non intendit fortuna finem: sed additur hoc ad duplicem sensum: aut quia talis res est, ut si esset prævisa, ab agente esset intentata: aut quia effectus fortuitus jungitur effectui per se, *fossioni inventio, qui finis fortuitus inest agenti necessariò ob finem.* *Absq; hoc, nihil esset fortuitum, si non esset naturalis motus, nec violentus, qui ceu contrarius ab illo præsupponitur.*

XLV. *Ex electione.* Tantùm Fortuna est in rationalibus, v. g. hominibus, qui fortunati, vel contrà. *ἀλογία* potiùs dicuntur *agi, quàm agere.* Praxis enim græcis; quæ fit ex studio, in quo virtus vel vitium. Hinc Aristoteles rectè: *Intellectum & fortunam circa idem versari, asserit; licet hæc accidat ob defectum intellectus, nesientis omnia providere futura, ne quid eveniat præter ejus intentionem.* Idem acutè: *ubi multum intellectus, ibi parum fortunæ.* Hinc Dei respectu, qui omnia liquidò cernit, nil fortitudo potest contingere. Hinc Polus apud Platonem: *Fortuna est inimica arti; socia autem & comes imperitiæ.*

*In Gorgia
Arist. Metaph.*

XLVI. *Neq; semper, neq; ut plurimum.* Quod sic fit, aut

aut est contingens ad utrumlibet, ut ambulare & non ambulare;
aut rarò contingens, ut invenire argentum.

XLVII. Hinc Aristoteles 7. attributa colligit. 1. Quòd fortuna sit cum mente in iisdem, quæ subjecto & numero eadem, ratione diversæ; *Mentis*, prout certæ; *fortuna*, prout incertæ. 2. Quòd sit incerta, obscura. 3. Nil à fortuna veri & falsi fit; quia nullius per se causa. 4. Fortuiti facti causæ sunt infinitæ, de quibus dici nequit aliquam esse causam fortuitam. *Exit aliquis videndi alicujus gratia & emendi, & accipere pecuniam, sed de nulla causa affirmatur ante fortuitum factum, eam hujus causam fore.* 5. Quòd sit aliena à ratione. Nam ratio in necessarijs est.

XLVIII. Hinc quæstio: *An una tantum causa sit fortuiti eventus?* An inter multas, alia sit per se fortuiti eventus, reliquæ per accidens. Resp. Aristoteles, eandem esse rationem in his, quæ in alijs causis per accidens, ubi nulla potest causa per se esse effectus. *Sunt tamen alia propinquiores, alia remotiores ab effectu per se, ut sanus factus, tonsio capite, & vento afflante. Hic 2. causæ per accidens, quarum nulla est per se sanitatis: est tamen altera remotior, videlicet tonsio; propinquior altera, ventus.*

XLIX. Quòd sit alia bona, cujus eventus talis, alia mala. Illa *εὐτυχία*, hæc *δυστυχία*. VII. Quòd tam bona quàm mala, seu magna, seu parva sit *inconstans*.

L. Hucusque I. pars, *definitio fortuna; sequitur Fortuna & Casus differentiâ & convenientia.*

LI. *Conveniunt* I. utriusque causa est per accidens. II. Varius utriusque casus, quòd fortè cadant. III. In susceptis ob finem, & casus & fortuna conveniunt.

LII. *Differunt.* *Fortuna* strictior, quæ in ijs sola, quæ fi- 2. *Ph. 5.* unt consultò. *Casus* non item, qui tamen bifariam capitur. *Col. Con.* I. *Pressè*, quo pacto non est casus fortuna, nec contra fortuna

casus, quod liquet ex definitione. *Casus causa est per accidens in ijs, quæ alicujus gratia fiunt sine delectu.* Fortuna contra delectu. 2. Sonat casus, ut quid est commune casui & fortunæ. *Omnis enim fortuna est casus, sed non contra.* Ita hic sumitur casus ab Aristotele.

Pag. 94.

Perer.

LIII. Magirus cum fortuna (ait) casus consentire videtur, sed Philosophi subtiliùs ista distinguunt, ut fortuna sit in rebus, quæ deliberatione constant. Casus verò sit causâ eventuum, qui contingant circa res deliberatione destitutas, ut cum poculum è mensa delapsum, licet vitreum, non tamen frangitur, casus est. In eo differt casus à fortuna, ait Perer. *Quod hæc sit in humana electione, casus in agentibus naturalibus.*

LIV. Eorum verò esse fortunæ, quæ consultò geruntur, probat Aristoteles ijs, quibus contingit esse fortunatis, quorum est versari in rebus agendis. *Fortune prosperitas est felicitas, quæ est actio, aut illi cognata.*

LV. Hinc nec bestia, nec pueri electione destituti ea præstant, quæ sunt fortunæ. v. g. *Venisse dicitur hædus ad pabulum casu, acciditq; simul, ut consilio ab homine clauderetur, ne si pernoctasset in sylva, à bestiis dilaniatus fuisset. Equus non evadendi gratiâ, sed casu venit. Tripes decedit, quia gravis, eoque dicitur cecidisse casu.*

LVI. In illis tamen, scilicet bestiis & pueris, fortuitum factum, duobus modis reperitur: 1. Similitudine, ut lapides ij fortunati, quibus in ara contigit esse: Contra, qui calcantur. 2. Perpeffione, quæ possunt aliquid perpeti per fortunam; *Moses non submersus dici potest fortunatus. Infans, si objectus feris ab hæc servatur ad regni culmen venturus; ut Remo & Romulo à lupa sustentato factum.*

2. Phys. 6.

Coll. con: in lib. Aristot.

LVII. Adhuc duas differentias Aristoteles dat casus & fortunæ: 1. Casus in ijs est, quæ fiunt natura, ut, si monstrum nascatur, casu id factum esse dicitur: *Fortuna autem in eligibilibus, & quæ sunt consilij, ut receptio pecuniæ. At natura non deliberat.* 2. *Fortuiti eventus causa externa est, ut si sit reperiendus thesaurus, actio fodientis, quæ externa est, adsit, oportet. Casus autem est principium & causa insita, cum sit naturalis, ut si lapis decidat, lædatq; prætereuntem, causa in lapide interna est, ejus scil. gravitas, quæ ad naturalem suum situm, non ad læsionem ferebatur.*

58. Idema

LIIIX. Idem fit in deliberantibus. Si quis enim projecto lapide vulneret prætereuntem, quod non proposuerat, fortuito id factum esse dicitur.

LIX. Casum esse in ijs, quæ fiunt ob finem, probat græcum ἐτυμον: αὐτόματον casus, quasi αὐτὸ τὸ μάττω ipsum frustra. Frustrâ enim factum esse dicitur, quod non intentum finem consequitur, ut si quis egestionis gratia, deambulet; nulla autem sequatur, frustra se ambulasse dixerit. Est autem talis finis, ut possimus eum consequi, ob quem quid suscepimus, ut ingrediens balneum aliquis, eò, ut Sol deficiat, non autem sequatur factum, si jam frustra se lavisse dicat, ridiculus est, ait Autor. Non enim lotio efficere potest, ut Sol deficiat. Sic, quod non fit ob finem propositum, casu dicitur fieri, ut si studio projectus lapis non tetigit Socratem, frustra projectus dicitur.

LX. Hinc Aristoteles reducendo fortunam & casum ad primum agens, Democritum & alios, mundum casu extitisse somniantes, hac damnat evidentiâ: Nullum eorum, quæ sunt per accidens, prius est ijs, quæ sunt per se. Casus & fortuna sunt causæ per Accidens. Natura causæ per se. Ergo casus & fortuna non sunt priora, quam mens & natura; sed posteriora.

LXI. Et hucusque 2. pars. Cum autem Theologi ex Ethnica abominatione, vel conceptum nedum effatum fortunæ prohibeant, ceu D. Hafenref: Unde, inquit, patet (post descriptionem citatam Epicur. opin. à Plin.) quàm indignum sit inter Christianos vel vocè Fortunæ exaudiri, vel minimam ejus in animis residere memoriâ. Quæritur: An rectè à Christianis Fortuna statuatur? Repugnare enim videtur Dei providentiæ, qua sine nec crinis de vertice labitur ullus, nec cadit in terram parvula passer avis. A Deo enim omnia præcognoscuntur, nihil ei fortuitum.

LXII. Respon: per dist. Fortuna vel separata est per se causa; vel per accidens, quæ cum alio cohæret. Si causa per se, erit Dea, quam Christiani ignorant, ut falsam & nullam; & quam Ethnici falsè derident; ut supra ex Juvenale. Et Boët. si quis (ait) eventum temerario motu, nulla causarum connexionem productum, casum esse definiat, nihil casu omnino esse confirmo. Quis enim coercente in ordinem cuncta Deo, locus ullus temeritati reliquus esse potest? Si verò Fortuna

III.
Christiana
sententia de
Fortuna &
Casu.
p. 119. de Prov.
in L.C. Ha-
senrefer.

Sat. 10.
De consol Phi-
los. Prof. 1.

Cic. 1. Aca-
dem. quest.
Col. con. Ha-
venr.

& casus per accidens est causa, eaque voce utimur, cum vera causa nos latet, nihil absurditatis vel impietatis hic erit. Ratione Dei nil fortuitum est; ratione nostrae cognitionis secus; dum unam causam effectus duos dare videmus, unum intentum, alterum inopinum.

Boet. l. 5. conf.
prof. 1.

LXIII. Respon. item Pererius: Casus & Fortuna ponitur respectu particularium. Fortuna est hominis, casus naturae, neutrum Dei. Adaequatur effectus causae particulari & proxime ab ea denominatus. *Concursus causarum fluit de Providentiae fonte cuncta suis locis temporibusque disponente. Et quae praemissis fluitare videmus habentis, Sors paritur srenos, ipsaque lege meat.*

Ex Aristot. 2.
Phil. 5.
l. 3. de Tr. 4.

LXIV. Col. Con. 2. dat conclusiones: 1. Datur in rebus fortuna, ut est causa per accidens eorum, quae ad finem eligendo agunt. 2. Respectu Dei nil fortuito evenit, ut D. August. nihil, inquit, in ista totius creaturae amplissima Rep. est, quod non de interiori Aula summi Imperatoris aut jubeatur aut permittatur.

l. 38. q. 9. 34.

LXV. Usque adeo nullum fortuitum contingens latere Dei providentiam, probat hoc metro rotunde Boetius;

*Huic ex alto cuncta tuenti - Nulla terra mole resistit,
Non nox nubibus a tribus obstat, Quae sunt, quae fuerint,
veniuntque
Vno mentis cernit in actu, Quem, quia respicit omnia
solus,
Verum possis dicere solem.*

Deus non est
causa per acci-
dens alicujus
rei Col. Con.

LXVI. Ait D. August. 1. Quod fit casu, temere fit: si temere, sine providentia. At contra hanc nil accidit. 2. Si quid ratione Dei contingeret fortuito, esset is causa per accidens alicujus; quod repugnat 1. quia causa per accidens habet nobiliores, ad quam revocetur. 2. Id quod est causa per accidens, inscienter incurrit in effectum, quod Deo neutiquam convenit. Et quamvis Cic. dicat: *Mihi ne in Deum quidem cadere videtur, ut sciat, quid casu & fortuito sit futurum. Si enim scit, certe illud eveniet; si eveniet, nullum fortuitum est. Nil enim tam contrarium rationi & constantiae est, quam fortuna.* Tamen sententia isthaec, vel penitus est

est falsa, aut sic interpretanda, ut res fortuita ea ratione, qua sunt tales, à nullo possint intelligi: Deo enim nihil potest esse fortuitum, sed quicquid est, fit, aut futurum est, id omne ei præfens, certum ac definitum est. Piccol. lib. de Mundo cap. 42. 43.

LXVII. Fortuna, ait Mag. Christianis est Beneplacitum Dei: Eo enim providente nil fortuito fieri, ex sacris constat. Ob

pag. 49.

Cic. Academ.

quest.

ignorationem veræ causæ Philosophi fortuna usi sunt voce.

LXIX. Indagatio autem causarum per se, etsi ardua sit: Reducuntur tamen fortuita ad 6. causas.

LXIX. 1. Ad Dei providentiam, ut *Mosis conservatio. 2. Ad causas secundas, ceu Dei Media. Petri ex carcere liberatio. Iobi li-*

Phil. Mel.

lib. 2.

berorum subversio. 3. Ad temperamentum bonum vel contra; sunt catharri naturæ, non fortunæ. Φθίσιν precedunt, calidius epas, ventriculus frigidior, pectus angustum; siccum corpus, tussis, catharri in pectus jugiter destillantes; Ita subest causa in corpore cholericis & calidius excandescente. 4. Ad Astra, quæ causæ sunt multorum eventuum, qui vulgò fortuiti sunt; Infantes tempore novilunij vel eclipsis nati, maxime verò solis, insignem virium imbecillitatem totius vitæ curriculo experi-

untur. 5. Ad mores hominum, sæpè tristem casum causantium: Non fortuitus interficitur Absalom, sed seditiosus. Δισκερσοίαν ventriculi

Tertul. Vi mo-

res, ita fortu-

na responder.

agrè concoquentis quid parit? Intemperantia calorem ejus cruditate penè

extinguens. 6. Ad varietatem inferiorum corporum, ob quam sæpè materia dispares dat effectus, qui habentur fortuiti, cum

subsit ratio, sic ad causam refertur, cum pluat in hoc loco, in vicino non; cum fluxilitas materiæ elementaris, vaporum, sit causa per se: variè enim venti agitant nubes. Multi pereunt tempore pestis, quibus nec stella, nec temperies hunc interitum minabantur. At vincit materia universalis;

id est, aëris in regione infectio & corruptio.

LXX. Concludimus, ut Christiana doctrina de Dei Providentia, fatalem necessitatem non admittit; ita nec casum aut Fortunam tolerat Dei respectu. Nos hîc in locum causæ illius occultæ, divinam gubernationem ex verbo Dei supponimus, ut ejus misericordia & justitia erga impios & pios, quos tollit, premit, dirigens ad gloriam suam, hominumq; , ceu Φιλάνθρωπος, salutem, appareat.

Quod

LXXI. Quod aliàs de fortuna dicitur: *Illos exebit, hos premit, abijcit, eripit illos.* Id divinæ Gubernationi ascribendum.
LXXII. Sic declarandæ rei vivum de omnipotenti cura exemplum hoc: *Cur ignis in fornace Babylonica viros 3. non ufferit?* Non fuit impeditus Casu, quia suppetebant ligna, quibus septies iteratis canduit fornax. Vim habuit *Natura*, quia Medilastini propiores flammis hausti absumebantur. Casu etiam non posse ignem urere admotam materiam, experientia reclamat. Nec obstitit *Eventus seu Fortuna ceca gentilium*: nam nec hanc igni unquam suam naturalem ademisse urendi vim, profana scriptio probat. Aut igitur *Natura* aut *Fortuna* id effecit, cum nec casu (quod abest à miraculis) nec materia, ceu medij penuriâ, qua procedit *Natura*, factum? Resp. Exeruit omninò suâ vim ignis, quod probant exusti calefactores ignem alentes, sed *Fortuna Christiana*, id est, Dei providentia majorem exercuit potentiam præsidens *Naturæ* tali miraculo, quod esset supra illam, ut licet natura ureret, non tamen Dei famulos adureret. Utraq; ergò fecit suum: *Natura Dei Ministra* cremando materiam materiæq; suppeditatores, cedendoq; Deo, *Domino & Arbitrio suo*. Fecit suum *caelica Matesis*, interponendo miraculum in media naturæ potestate, si enim vim ignis non habuisset suam, miraculum non fuisset. Et sic discernitur potentia naturæ à miraculosa *Naturæ Moderatoris* omnipotentia & imperio liberrimè in omnibus omnia gubernante, conservante, ordinante.

F I N I S.




Quod

05 A 407

ULB Halle


3

004 208 544



717







Auspicio Sacrosanctae Triadis

DISPUTATIO

De

FORTUNA ET CASU.

Quam

P R E S I D E

M. IOACHIMO FLEISSERO

Uratislaviense, Collegij Philosophici

Adjuncto,

In Academia Wittebergensi publice

discussioni subicit

MARTINUS NEBIUS

Nidburg, Borussiae.

Ad 11. Augusti in Auditorio Philosophico

horis à 6. matutinis.

WITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni,

ANNO M. DC. X.